



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

Præfatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)



quidam ut maiestatem, quidam ut bonitatem, & sic de aliis, in signum quod ipsum non vident visione comprehendente; sed conceptio perfecte representans Deum, est verbum increatum. Hæc D. Thomas, quibus verbis eleganter declarat, quod solus Deus proprie in Sion loquitur, quia solus sibi proprium & adæquatum nomen imponit, verbum scilicet æternum quod format, & quod totam ejus cognoscibilitatem adæquat. Unde Lactantius lib. 4. instit. cap. 7. *Ideo solus Deus hoc sibi nomen à principio imposuit, quod nullus alius præter ipsum scit; quia solus seipsum comprehendit, solus ipse æternum verbum genuit.*

Ex his facile intelliges, Deum rectè appellari à Dionysio cap. 1. de divin. nomin. *ἀνομιον* & *ἀνομιον*: caret enim omni nomine, quia nullo nomine totum quod in ipso est, prout est, exponi potest: habet verò plura nomina, quia variae sunt perfectiones in rebus creatis dispersæ, ex quibus cognosci & nominari potest. Unde Gregorius Nyssenus in explanatione Cantici Cantorum: *Omnia (inquit) mira que in universo contemplamur, materiam divinorum nominum*

A præbent, quibus Deum sapientem, potentem, bonum, sanctum, beatum, æternum, iudicem, salvatorem, & aliis huiusmodi nominamus. Vel etiam, ut idem sanctus Doctor ibidem docet, dicitur *multinominus*, ob multitudinem beneficiorum quæ nobis confert. Lumen enim dicitur, cum caliginem ignorantia depellit; vita, cum immortalitatem largitur; via, cum ab errore ad veritatem deducit &c.

B Simili modo Nazianzenus in quodam carmine, Deum sic alloquitur:

*Cum neque unum sis, neque omnia. Quem te appellem,*

*Qui solus innominabilis, & omninomius &*

C Ubi Deum *innominabilem, & omninomium* appellat; quia licet pluribus nominibus appelletur, ut à nobis aliquo modo cognosci possit, nullum tamen, nullaque conceptio nostra, illum exprimere potest prout est in seipso. Unde egregie Augustinus Tract. 13. in Joan. *Omnia possunt dici de Deo, & nihil dignè dicitur de Deo. Nihil latius hac inopiâ. Quæris congruum; non invenis. Quæris quoquo modo dicere; omnia invenis.*

## TRACTATUS TERTIVS.

## DE SCIENTIA DEI, ET IDEIS

*in Mente ejus existentibus.*

*Ad questionem 14. & 15. Divi Thomæ.*

## PRÆFATIO.

**C**UM primùm ad pertractandas de divina scientia quaestiones animum converteri, visus sum mihi hoc à Deo impositum præceptum excipere: Duc in altum, & laxate retia in captivam, quod jussus est olim D. Petrus, ut explicat D. Ambrosius, in profundum disputationum sese committere. Nec immeritò hanc Tractationem de Dei scientia, vastissimum & immensum mare dixerim; tempestatibus infestum, procellis opportunum, naufragiis celebre, unde vix quisquam integram navim educat. In hoc oculos converterat Paulus, cum horrore quodam percussus, altitudinem quidem vidit (ut inquit Augustinus) sed ad profundum non pervenit, & unum reperit quod exclamaret: O altitudo sapientia & scientia Dei!

Sanè si Dei miraculorum mare theatrum est, in quo divina ars ludit, illudque hominum mentibus, ut cum in cæteris multa sint quæ studium mereantur, & animum rapiant, mirabiles tamen sint elationes maris, mirabilis fit in altis Dominus: hoc habet scientia Dei singulare, & eximium, tantumque mentium aciem & conatum superat, ut immensum hoc pelagus contemplanti, sola cum stupore admiratio superstit. Quid enim si claritatem, cui omnia nuda & aperta sunt; cui si omnium mentium lumina, etsi omnia una mens caperet, conferrentur, cæcam noctem, & tenebras dici oporteret? Quid si vim agendi, & efficaciam, quæ nullis machinamentis, nullo labore aut conatu quibus ars eget,

Tom. I.

A a ij

Luce 5.

In cap. 5  
Luce.

Sermi:  
10. de  
verbis  
Apostol:  
licap. 7.



sed solâ contemplatione & visione uniuersa producit? Quid si infinitatem, simplicitatem, certitudinem, immutabilitatem, & cæteras dotes quis inspiciat? Solam cum admirationem & stuporem manere necesse sit, ut identidem cum Propheta exclamet: Mirabilis facta est scientia tua, confortata est, & non potero ad eam! Vnde Chrysostomus: Multa sunt quæ licet miremur, non tamen cum timore, ut magnifica ædificia columnarum, ornamenta parietum, picturas corporum: at maris vastitatem, immensosque aquarum gurgites, & altitudinem, non sine metu inspicimus. Sic & Propheta, cum vastum id, immensumque diuinæ scientiæ pelagus inspicit, vertigine quasi tentatus, stupefcit, ac summo cum timore demirans, recedit, atque exclamat, mirabilis facta est scientia tua!

H. mil.  
de in-  
preben-  
sibili  
Dei na-  
tura.

Nec solum hanc grauissimam disputationem, mare dixerim, quod ingentes olim procellas inter Patres Societatis & nostros excitauit, quibus sedandis Congregatio de auxiliis diu allaborauit, sed etiam scopulum Philosophorum & Hæreticorum naufragio infamem, qui collis plurimorum nauibus, cæteros periculi admoneat. Vnde Mariana libro 3. de morte & immortalitate cap. 8. En scopulus ad quem multæ confractæ sunt naves. En Eurippus rapidus in diuersas & contrarias partes, verso mari: velut monte præcipiti devolutus torrens, feruens rixis & contentionibus. Et Cardinalis Sadoletus libro 2. in Epist. ad Romanos. Magnum concursum acerrimarum disputationum excitant, magnumque mare commovent, quicumque hanc difficillimam omnium quæstionum, & si verum fateri volumus, penè inexplicabilem, tractari postulant.

Verum nihil me ista terrent (Amice Lector) huic me pelago securus committo: procul à periculo positum, nauigaturum me spero, si quando in altum nauis producenda sit: nihil est quod metuum, dum Angelicum Præceptorem sequor, quem Deus Ecclesiæ suæ seu Sydus dulce carina ostendit; etsi validior tempestas e manibus clarum excuteret, adeo propitium Sydus nauim reget.

Clau-  
dianus.

geminis quæ lapsa procellis.  
Tunditur, & victo trahitur jam cæca magistro,

Si mecum (Amice Lector) vis in eadem versari nauis, unum polliceri, omni periculo defuncto, tuto saluæque portum pertingemus.

Vt verò quæ in hoc Tractatu de scientia Dei dicturi sumus, aliquâ methodo & ordine pertractemus, illum in septem disputationes diuidemus. Prima erit de scientia Dei secundum se. Secunda de scientia possibilium, quæ simplicis intelligentiæ dicitur. Tertia de causalitate diuinæ scientiæ respectu creaturarum. Quarta de scientia futurorum absolutorum, quæ visionis appellatur. Quinta de scientia futurorum sub conditione, fundata in decreto, quæ à Thomistis admittitur, & conditionatorum scientia dici solet. Sexta de scientia conditionatorum ante decretum, quam Recentiores in Deo fingunt, & scientiam mediam vocant. Vltima tandem erit de ideis in mente diuina existentibus, de quibus fusè Plato, & ante Platonem Socrates disputauit: imò, ut testatur Augustinus, libro octoginta trium questionum; tantam vim in ideis prisca illi Philosophi posuerunt, ut ipsorum iudicio, nisi iis intellectis, sapiens nemo esse posset. In quam rem, celebre est dictum illud Platonis, Illum qui ideas contemplatur, victurum esse Deum inrer homines.

Quest.  
40.